

ne audita , exercitum , qui jam , superatis Alpibus , ad Villa-  
novanum vicum in Astensi agro pervenerat , in Galliam revo-  
cavit ; ita , ut Scudo , omni auxilii spe abjecta , de Cremona  
dedenda cogitandum fuerit . Cum vero Columnæ fidem vere-  
retur , qui petenti , ut sibi tuto in Allobroges copias ducere  
liceret , aperte negaverat , a summo militiae Præfecto , atque  
Andrea Grito Legato cum cataphractorum equitatu , ac pedi-  
tatu , quæ Cremonæ habebat , Reipublicæ finibus recipi petiit .  
Gritus , ut de iis , quæ a regio exercitu agerentur , certior  
fieret , Senatusque mentem intelligeret , initio cunctatus , mox  
ex ejus sententia Scudo respondet : quod tutum illi in Allo-  
broges iter negetur , vehementer mirari : si denuo instet , at-  
que urgeat , pactaque servaturum confirmet , æquitati demum  
Columnam cessurum sperare . Grito vero mittendi tubicinis in  
Columnæ castra facultas concessa , qui , Cremona tradita , Scu-  
do cum suis copiis tutum iter Senatus nomine peteret , uti  
tandem obtinuit ; nam deditione facta , conditionibusque ex  
pactione servatis , Scudus cum Gallorum reliquiis , ac tormentis ,  
pacato itinere , in Gallias est profectus . Ita paucorum  
mensium spatio ditissima , ac omnium rerum affluentissima re-  
gione , vel pravis consiliis , vel fortunæ adversitate Galli in  
Italia excidere : qua in re ita se Veneti gessere , ut , neque  
fœderi , quo Francisco obstricti fuerant , decessent , neque Ca-  
rolum , salva Regi fide , qua ad tuendos Insubres tenebantur ,  
ulla in re læderent . Rex per nuntios , atque Oratores , ac  
præcipue per Annam Momorantium , qui summæ apud eum  
gratiæ , & auctoritatis locum obtinebat , id saepius Patribus est  
testatus .

*Cremonæ  
deditio.*

Cæsar vero Gasparem Contarenum Reipublicæ Oratorem ,  
semper benigne , ac perhumaniter exceptum , omnibus benevo-  
lentiæ argumentis est prosequutus ; cumque in Angliam ad col-  
loquium cum Henrico , apud quem Antonius Surianus pro  
Republīca legatione fungebatur , descendisset , cum utrisque de  
aneunda pace , aut induciis instaurandis egit . Interea Gallicis  
copiis trans Alpes profectis , Cæsarisque exercitu , pecuniae ino-  
pia , plurimisque incommodis quotidie dilabentibus militibus ,  
imminuto , Senatus copias in stativa duci decrevit ; lapsam  
militarem disciplinam restitui ; Cremæ , & Bergomi præsidia

*Gaspar Cœ-  
tarenus ad  
Cæsarem O-  
rator.*

*Colloquium  
inter Cæsa-  
rem, & An-  
glia Regem.*

*Antonius  
Surianus  
Orator ad  
Anglia re-  
gem.*